



7

fane alimentum aut comitari, aut sequi nunquam poterit, nec ubique locorum in cælis existere pabulum pro Cometis aliunde jam est certum.

§. VI.

Porro opinionem Aristotelicam penitus subvertit Cometarum situs, ac parallaxis. Scire forsân desideras, quid ergo sit parallaxis? id paucis suggeremus tibi, ut tandem ex ea discas, Cometam esse haut posse exhalationem ignitam. Parallaxis itaque vox græca est, latine diversitatem adspectus significat, eaque competit dumtaxat stellis inferioribus, quæ, si e diversis terræ locis spectentur, ad diversas quoque cæli partes referuntur. Si enim duo Mathematici in locis a se invicem procul distitis lunam e. g. eodem tempore per tubum contueantur, eandem certe sub diversis stellis fixis quasi positam adspicient. Et hæc ipsa adspectus diversitas, sive spatium inter diversas cæli partes, seu stellas fixas, ad quas refertur luna eodem tempore e distitis terræ locis inspecta, comprehensum parallaxis nuncupari consuevit. Quo major autem existat sideris cujuspiam parallaxis, eo minor est ejusdem distantia a terra: Unde luna terræ proxima maxima quoq; gaudet parallaxi, ceteri vero Planetæ pro ratione distantiae minorem semper, ac minorem habent parallaxim: proinde Sol sensibilem quidem, sed longe minorem tenet parallaxim, ac luna. Denique stellæ fixæ ob immensam a terra distantiam omni prorsus destituuntur parallaxi. Jam vero Tycho de Brahe (a) Uraniburgi, Hagecius autem Pragæ eundem Cometam anni 1577. eodem tempore in eodem cæli puncto conspexerunt, quum uterque æqualem omnino Cometæ istius distan-

---

(a) Tychonis Progymnas. lib. 2. c. 6. p. 24.